



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Vigesima sexta Iunij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

rium à manu patrini suscepit, & in verticem eius violenter direxit; sciditque ei caput medium. Sanguinis autem effusio fontis venas mox aperuit, de cuius lotione multos fuisse restitutos sanitati, perceptum est. Natalem habet in die natali Præcursoris Domini. Ideoque Hugardienses ad diuum Gorgonium Canonici, festum eius, quod duplex celebrant, transferunt in diem sequentem: Et reliquias corporis sacri quiescentes in capsâ, in Processionibus sæpius circumferunt, potissimum tamen vltimo festo Pentecostes.

Est autem Hugardia celebre municipium diocesis & territorij Leodiensis, Brabantia contiguum. Quod cum Baldricus episcopus fossis munire veller, restitit cum exercitu Lambertus barbatus, Comes Louaniensis, & ex parte episcopi trecenti ceciderunt. Ad quorum refrigerium Leodij construxit monasterium sancti Iacobi in insula.

*Historiano-  
tata est in  
fac. mltit.  
Duc. Brab.*

## Vigesima sexta Iunij.

### 1<sup>o</sup>. De S. martyribus Saluio & Superio.

*Ex Martyrologio & historia manu-scripta ad sanctum Saluium.*

**I**N portu Valencianis, sancti SALVII, episcopi Angolifinæ ciuitatis, & martyris: qui in Gallias cum vno comite ad prædicandum veniens, & in villa quæ dicitur *Breusticum*, à Winegardo filio Genardi clam comprehensus, & in capite securi percussus, vnâ cum supradicto comite martyrium suscepit.

*Deijs Iacobus Guisus lib. 13. annal. Har. t. 12. & 4. 1699.*

Natus hic fuit Aruernæ, sed pontificali dignitate insignitus, ad prædicandum verbum Dei ex Aquitania in Gallias venit, cum vno discipulo, qui magistrum nõ tam pedibus quàm moribus sequebatur.

quebatur. Cum autem ex Valencianis ad vicinam  
 sancti Martini ecclesiam recessisset, Missarum so-  
 lennibus & verbi Dei prædicatione peractis, à  
 Genardo fisci procuratore, refectionis gratia est  
 exceptus. Apud quem superuenit filius eius Wi-  
 negardus, homo leuis, lubricus, & superbus, qui  
 mox attendebat qua fraude sancto viro eriperet  
 aureum calicem, & indumenta preciosa, quæ ob  
 dignitatem mysteriorum secum ferebat. Beato  
 igitur Saluio ad ecclesiam Deiparæ virginis Con-  
 datum egredienti, ad riuulum Bontionem occur-  
 sit cum complicibus suis, qui omnibus ablati,  
 beatum virum & discipulum vinculis mancipa-  
 runt, & in custodiam abduxerunt. Nocte autem  
 Winegarius custos carceris Winegardo minaciter  
 perurgente, vtrumque intra carcerem securi trun-  
 cavit, & corpora in stabulo armentorum sunt de-  
 fossa, beati Saluij subtus, & comitis ex transfuerso,  
 in formam crucis. Quorum sepulturæ locum tau-  
 rus, quasi dux & custos armenti, à reliquis anima-  
 libus, & ab immunditia conseruauit. Visa sunt  
 etiam à diuersis luminaria in stabulo. Sed & Ca-  
 rolus Imperator ter ab angelo monitus est, vt cor-  
 pora sanctorum quæreret. Quæ inuenta ex mar-  
 tyrum manifesto indicio, ad ecclesiam sancti  
 Martini sunt translata, vbi vsque hodie signis &  
 miraculis clara coruscant. Horum interfectores  
 Augustus graui pœna mulctauit, nec tamen ob  
 hoc in eos vltio diuina cessauit. Martyribus au-  
 tem tertiam sui fisci partem donauit. Legitur de  
 iisdem Idibus Octobris, *In portu Valencianis, eleua-  
 tio pretiosissimi corporis beati Saluij martyris, ac Anco-  
 sine ciuitatis episcopi. Septimo Iduum Septembris,  
 translatio sancti Saluij martyris, ac Ancolisina ciuitatis  
 episcopi,*

episcopi, & Superij discipuli eius. Comes enim, quia de nomine ignotus erat, dictus est Superius, quia in inuentione deprehendebatur superius in cre. Porro ad horum martyrum tumultum celebris est Prioratus sancti Salaij extra Valencenas. Solent que ciues primarium festum celebrare: sed feruor ille nimium refrixit.

Sunt autem Valencenae celebre emporium ad Scaldim inter Franciam & Hannoniam, sed haeresibus & direptionibus nostro tempore exagitarum. Sigebertus vocat castrum Valentianas, situm in marchia Franciae & Lotharingae. Superioribus saeculis nominabant fiscum, & portum Valentianas. Videntur etiam nuncupasse pontem Scaldis & Valentinianas.

In Chroni-  
cis anno  
1006 an.  
801. vocat  
fiscum Va-  
lentianas.

A nostro autem beato Saluio martyre, distinguendi sunt alij eiusdem nominis. In primis Saluius episcopus Ambianensis. \* Is enim, quod propria ecclesia testatur, tempore Theodorici regis officium eius sedis suscepit, & beati Firmini martyris corpus inuenit. Et rursus: Saluius episcopus Albigenis, de cuius sanctitate Gregorius Turonensis episcopus scripsit. Et tertio, \* Saluius, episcopus doctissimus, qui in Autelienensi Synodo haeretici cuiusdam, qui ex transmarinis partibus pulsus Augustodunum venerat, versutias omnes detexit. Unde episcoporum sententia e finibus Galliae eliminatus est.

\* Audouene  
vita Eligij  
lib. i. c. 35.

1. Idcirco non recte Meyers an. 801. praedictum Saluium dicit fuisse Ambianensem episcopum.

## 2. De sancto Baboleno abbate.

Ex Nodgero potissimum, & translatione Simmetrij.

STabuleti, sancti BABOLENI, abbatis & Confessoris: Hic primum fuit abbas Malmundarij; deinde successit Stabuleti sancto Remaclo. Quo in loco quiescunt quoque eius reli-  
quia,

Junij 26.

NATALES

Nodgerus  
3. Septemb.

quia, altare habet in sui honorem consecratum, atque festum Duplex maius. Historiam non vidi: sed Nodgerus episcopus in vita beati Remacii, Dominus, inquit, & pater Bapolenus ad Remaclum inuisendi quidem causa venit, sed eius inherere magisterio, quam domum redire, maluit. Susceptus est à beato Remaclo officiosissime, & vixit apud eum sine offensione: quiq; instruendus eo venerat, complures suis exemplis ad virtutis studium excitauit. Cernens id beatus Remaclus, secumq; cogitans, ea causa eum missum fore assis à Domino, rogauit ne discederet: cum præterea ob fratres in disciplina continendos Malmundariensi cœnobio, salua in omnibus auctoritate sua, eum præfecit. Deinde in fine libri habet beato Remaclo successisse sanctum Papolenum virum Apostolicum, cuius supra fecit mentionem: Porrò in historia translationis sancti Symmetrij dicitur Babolenus vel Papolenus venisse ex Romano monasterio, quod Gregorius magnus ad cliuum Scauri construxit; eumq; Honorij auctoritate, per Galliam & Germaniam monasteriorum fuisse visitatorem. Quod onus eum à morte beati Remacii, propter citata Nodgeri verba, accepisse opinor: eaque de causa eum dici à quibusdam abbatem diuersorum locorum, Malmundariensem, Stabulensem, Bobiensem, Fossatensem, & sancti Germani in pratis.

3<sup>o</sup>. De victoria Belgarum contra  
Stadingos.

Ex Alberti Crantij Metropoli.

**I**N agro oldenesche, anno millesimo ducentesimo  
trigesimo quarto, victoria cruce signatorum,  
contra

contra hæreticos Stadingos. Cuius sacri belli pri-  
 marij duces fuerunt Henricus Dux Brabantia, &  
 Florentius Comes Hollandia. Erant autem Sta- Li. 7. c. 47.  
 dingi, vt habet ecclesiastica historia Hamburgens-  
 sis, populi palustres ad fluuiorum ripas, in archie-  
 piscopatu Bremensi accolentes, qui libertate ec-  
 lesiæ conculcata, nulli parcebant sexui vel ætati,  
 responsa dæmonum quærebant, errone phitonif-  
 sas consulebant, & viaticum salutis æternæ horri-  
 bilius quàm deceat exprimi pertractabant: reli-  
 giosos & clericos impiè tormentis lacerabant, &  
 quos poterant, maximè infinitam rusticorum mul-  
 titudinem, in foueam suæ perfidiæ trahebant.  
 Quæ cum Gregorio nono per varios episcopos in-  
 notuissent, contra eos tanquam infideles crucem  
 iussit prædicari: Quam mox supradicti dux & co-  
 mes, multique eorum subditi hilariter susceperunt  
 amore religionis, & plenariæ indulgentiæ, & di-  
 utinæ patientiæ intiaiores, qui eis vt fur bandi ca-  
 nes ordinata acie obuiam processerunt, in virtu-  
 te Domini Sabaoth inuasert, & hastis, gladijs,  
 ac equorum pedibus ita oppresserunt, vt breui  
 spatio sex millia ex eis interirent: plurimi fugientes  
 in foueis & Vnifera sunt submersi, qui euaserant  
 dispersi sunt Intererant autem huic sacro bello,  
 Theodoricus Comes Cliuia: ex Flandris, Guilhel-  
 mus dominus Bethunia, Arnorldus dominus Al-  
 denardæ, alijque in Flandria annalibus nomina-  
 ti, Ioannes Iperius Bertinensis historicus dicit  
 Hollandia Comitem secum habuisse trecentas na-  
 ues. Aderat & clerus eminus pro crucis victoria  
 supplicans. Ex exercitu autem Dei cecidit Henri-  
 cus Comes de *Oldenborg & Wilthuse*, & cum eo pe-  
 regrini nouem. Breuiter de hac victoria scribit

Iunij 28.

IN NATALES

Thomas Cantipratensis, in libro Apum. *Quarta*, ait, nostri temporis crux contra Stadingos *pre-*  
*Lib. 2. c. 2* dicata est, quos in Theutonia Henricus dux Bra-  
bantiaë, cum suis, strauit.

### Vigesima septima Iunij.

#### *De sancto Adelino confessore.*

*Ex Martyrologio Cripinij, & vita Landelini.*

**C**Rispinij natalis beatissimi ADELINI, con-  
fessoris Christi. Hic à B. Landelino, super  
fluum *Hon* constitutus, vt Christi athleta vitam  
virtutibus adornatam sedulò ducens, migravit ad  
Christum. In quo loco sepultus fuisse creditur, vt  
miracula crebra monstrarunt, sed postea Crispi-  
nium translatus, cum magistro adesse monstratur.  
Fuit collega sancti Landelini cum tertio Romam  
peteret, eiusque in verbi Dei prædicatione, insi-  
gnis cooperatur.

### Vigesima octaua Iunij.

#### *De reliquijs sancti Benigni martyris.*

*Ex bibliothecis Raraictensium ecclesiarum.*

**T**Raieci, beati Benigni martyris atque Pon-  
tificis. Hic propter corporis aut reliquiarum  
allationem, nouem lectiones habet vigilia sancto-  
rum Petri & Pauli, in collegiatis ecclesijs beato-  
rum Martini & Petri.

Sed cuius beati Benigni hæ sint reliquie, vetus est con-  
trouersia, nondum, quod sciam, resoluta. Ideoque eam in-  
decisam relinquo.

Constat autem reliquias allatas esse à Baldri-  
co pio,